

num consecutiones saepe aliis fortuitis euentibus debilitari; hominis tamen ratio cum ex ipsa natura DEI et huius vniuersi, tum ex naturali hominis et ad Deum et ad res alias relatione intelligit, aliam vel praemiss retributionem, vel pœnae deficientis mensuram esse expectandam.

XCV. Displicent non paucis datae supra obligationis et legis definitiones, quod nulla in iis fiat legislatoris mentio.

XCVI. Sed duae quaestiones sunt, quid res sit, ut vnde illa proficiscatur; neque opus est in effectus definitione etiam efficientem causam includere; quid? quod obligatio in interiore et exteriorem tunc diuidi amplius non posset.

XCVII. Nec propterea confundimus varias officiorum species, et multo minus concionatorum exhortationes, amicorum consilia, histrionum persuasiones, aut latronum minas; obligationum numero adscribimus.*

C A P V T III.

De legum naturalium principiis, ac proprietatibus.

XCVIII. Legum naturalium existentia et proprie-
ties plenimam accipient lucem; si quibus illae le-
ges principiis innitantur, detegamus.

XCIX. Ac principium quidem *essendi*, seu possibili-
tatis *immediatum* in non repugnancia humanae na-
ture, *mediatum* vero in ipsa diuini Numinis essentia
reperitur.

C. Principium autem *existendi*, seu fieri proximum ab hominis essentia actu existente, et remotum est enim homini existere fortuitum atque contingens) a supremi Creatoris voluntate repetendum,

CI.

* Cf. meam exercitat. *De obligatione, lege et iure.* &c.

CI. Illud, cuius ope ad cognitionem huius diuinae voluntatis peruenimus, dicitur principium cognoscendi; est autem duplex prout vel subiectione, vel obiectione consideratur. Primum est facultas, quae obligationes et leges naturales nos docere potest, alterum fons, seu generale axioma, ex quo omnes ac solae illae leges deponuntur.

CII. Ad principium cognoscendi subiectuum primo pertinet *sensus moralis*, seu veri naturae instinctus, qui nunquam penitus soffocantur.

CIII. Hi autem non sufficiunt, sed distinctas et plenas legum notitiās suppeditat *Ratio*, quae rerum nexum et hinc boni vel mali cum actione copulationem videt, et stimulos genuinos a spuriis discernit.

CIV. Rationem vero cum dicimus, intelligitur *reæta*. quae nimirum cum hominis constitutione aliisque subiectis, in quibus versatur, conueniat, res natura copulatas coniungat, et separat natura discretas, quae certis, et evidentibus principiis nitatur, atque ex illis legitima ratiocinatio concludat.

CV. Plurimum adiuuat rationem sufficiens attention ad res sensibus obuias adhibita, seu *Experientia*, est porro et haec magna obligationis et legis naturalis magistra.

CVI. Non igitur actu, sed potentia tantum innata est nobis legum naturalium cognitio, quam ab inspiratione aut revelatione speciali cum Poireto deriuare prorsus est ineptum.

CVII. Et ita simul corruit opinio eorum, qui ab auctoritate, exemplo scilicet, iudicio et traditione aliorum, naturalem agendi normam esse hauriendam putant.

CVIII. Quamquam enim vitiata sit ratio a primorum parentum labe, ea tamen ablata non est, sed tantus nobis remansit illius gradus, quantus libertatis. Cur igitur non vident rationis osores se, et libertatem simul subruere?

CIX.

CIX. Characteres principii cognoscendi ex quo, seu obiectui, sunt, ut sit verum, perspicuum, adaequatum, ne plures scilicet, aut pauciores leges contineat, quam naturales, et tunc erit simul proprium huius disciplinae, seu domesticum, primum, et vniuersale.

CX. Multi quidem sibi persuaserunt inutile esse tale principium inuenire, quod acres de tali fonte altercationes non impedierint, ne tamen docti in conclusionibus fere consentirent, indocti vero illas probe cognoscerent.

CXI. Ast ea est ratiocinii natura, vt vniuersalem propositionem praemittere oporteat, quarum plures qui statuunt in nostra disciplina, non animaduerterunt, eas non posse inter se pugnare, et porro in re quadam, quae primum sit principium, necessario consentire.

CXII. Habent quidem indocti legum naturalium notitiam et usum, artem non habent, quae in principiorum nexu posita est; quod si principia non verbis tantum discrepant, sed etiam re, neque in conclusiōnibus consensus adesse potest. Ceterum principio suo non carent reliquae disciplinae.

CXIII. DEVS qua naturae auctor voluntatem suam verbis non declarauit, sed rebus ipsis et factis; quare fines rerum a Deo conditarum, quatenus ex ea ipsa earum essentia, atque natura intelligi et actionibus nostris liberis applicari possint, uberrimum esse omnis legis naturalis fontem, statuendum est.

CXIV. Igitur actiones, quae cum hisce finibus inessario connectuntur, lege naturali praecoptae, quaeis repugnant, prohibitae, quae ad eos aequabene ducunt ac aliae, permissae sunt; ast haec propositio iuris naturae fundamenalis a fonte prius referato distinguenda est.

CXV. Hominum existentia, et usus facultatum ipsis tributarum fines sunt intermedii, diuinae autem gloriae manifestatio est finis ultimus creationis; igitur

omnia officia ad Dei cultum, philautiam et sociali atem reuocantur.

CXVI. Hosce Dei fines nemo negare ausit, est ergo principium nostrum verum; dein illos sola ratione qui quis facile intelligit, est ergo euidens; tandem ex iisdem fluunt omnes obligationes naturales nec aliae plures, ergo est adaequatum; hinc primum, vniuersale et domesticum.

CXVII. Qui pro principio ponunt aut conuenientiam cum natura, aut veritatem realem, aut bonitatem et malitiam intrinsecam, aut amorem Dei, sui, et proximi, aut relationem naturalem, aut Dei attributa, aut conformationem creaturae cum Creatore, aut felicitatem, aut distributionem eius, quod cuique debetur, verbis a nobis dissentientibus, sententiis congruent.

CXVIII. Integrum vero disciplinae nostrae ambitum non complectuntur, qui conseruatione sui, propria vtilitate, socialitate, benevolentia, duratione humani generis, paceque externa ducunt naturae leges; hi enim certum solummodo officiorum genus tradere voluerunt.

CXIX. Quare facile conciliare possunt cum nostro pleraque principia, siquidem alii Dei essentiam, alii voluntatem, alii rationem suggerunt, qui de principio effendi, vel existendi, vel cognoscendi per quod loquuntur. Alii ad alia recurrunt, prout vel totum Naturae legum systema, vel partem tantum adornant.

CXX. Nihil vero ad principii requisita attendunt, qui primum, et domesticum cognoscendi principium in statu integratatis, in septem praeceptis Noahicis, in Decalogo, in Euangeliō, in consensu gentium, in potentia physica, in generatione, in eo, quod natura omnia animalia docuit, denique in dicto veterum: nosce te ipsum, quaesuerunt.

CXXI.

CXXI. Legum naturalium proprietates ex datis antea principiis promanant. Ita quoniam earum indicia existunt in natura rerum, plenissima autem cognitio adhibita ratione a nobis met ipsis comparari potest, consequens est, ut plana sint, liquida ac suffcienter promulgata naturalia morum praecepta, hinc ut, qui statum habet perfectum, illa inuincibiliter ignorare nequeat. Sed excusari saepe potest facti ignorantia, quae primum *experientia* superatur.

CXXII. Ideo certitudinem habent veritates mathematicae; quod non sumantur principia nisi evidenter et conclusiones inde sylogistice deducantur; idem autem obseruatur in legibus naturae, quare *mathematica certitudo* iisdem nequit denegari.

CXXIII. Quoniam lex naturalis in ipsa hominis rerumque essentia, vel absolute, vel sub certis circumstantiis considerata rationem habet, et conuenientiam vel disconuenientiam exprimit cum perfectissima Dei natura; quae omnia mutari nescia sunt; sequitur, hanc legem eandem semper atque *immutabilem esse* debere.

CXXIV. Evidem imago mutationis saepe fallere minos attentos posset, quum nimirum leges, quae non nisi pro certis circumstantiis iatae sunt, cessante eo rerum statu amplius non adparent. Reuera tamen nulla sit ipsarum legum mutatio, quippe quae posita noua hacce peristasi nunquam antea exsisterant. Sed nec in statu collisionis alterutra mutatur lex, verum casu atque euentu impossibilis sit vtriusque custodia.

CXXV. Quidquid immutabile est, idem et necessarium esse oportet, siquidem, quod ei oppositum est, repugnat. Itaque ex naturalium legum immutabilitate illarum quoque *necessitas* nunc absoluta et simplex, nunc saltem hypothetica concluditur.

CXXVI. Fuit in mente Dei ab omni aeternitate boni malique distinctio, neque is veritates morales ex propria et hominum essentia fluentes alio sibi repre-

sentare poterat modo, quam quo nunc sunt; ac propterea naturae leges etiam *aeternae* nominantur. Alia est legum positivarum ratio, quin enim diuersa earum fieri posset repraesentatio, nulla adparet repugnantia.

CXXVII. Quamquam enim hominem creare, vel non creare a liberrima Dei voluntate penderet, ab ea tamen non pendebat, alias, quam quae nunc sunt, praescribere naturae leges, sed, quod bonum erat, praeципere, et quod malum, prohibere debuit, et inde plenius intelligitur, cur *moralitas actionibus nostris sit intrinseca*.

CXXVIII. Falsum porro est, quod aiunt, ita summo scelere principium statui extrinsecum, quod fit Deo prius aut coeternum; ultima enim boni huius vel mali ratio a confensione ducitur vel dissensione actionis cum diuina essentia atque natura, quam libertati et voluntati praecipere animo concipimus.

CXXIX. Deus est omnis possibilitatis fons, itaque nisi is existeret, nec quidquam aliud nec intrinsece quidem esset possibile, hinc neque naturae leges. Quum tamen, et si quis a Deo abstrahat, propriam naturam concipere, et quae cum his actionibus necessario copulata sunt, naturalia praemia vel poenas, nunc magis, nunc minus efficaciter sentire possit, consequens est, ut insipientes, qui naturae Auctorem agnoscere recusant, tamen omne naturalis fraenum non remoueant.

CXXX. Nec obloquantur aduersarii: tunc morum praecepta consilia potius esse quam leges, et neminem vrgere legis custodiam. Enimvero hanc vrgent conjectaria cum actione copulata, quae poenae sunt vel praemii loco et obligationem ac legem pariunt a consilio plane diuersam.

CXXXI. Saepe tamen actionum conjectaria aliis externis et fortuitis euentibus debilitantur, vt bonis male, malis vero bene res succedant. Manca igitur foret

foret iuris naturalis sanctio, nisi a Dei bonitate et sapientia, bene vel male factorum compensatio exspectanda esset in aliqua vita futura; quod ipsum simplex et individua mentis natura ejusque ad nouas semper adquirendas perfectiones capacitas arguit.

CXXXII. Fundatae sunt naturae leges in ipsa hominis natura, et quasuis actiones moraliter bonas, vel malas comprehendunt; primum igitur eam hominem obligant, dein ad omnes actiones a libertate prouenientes extenduntur; et hinc sunt tam subiecto, quam obiecto *uniuersales*.

CXXXIII. Sunt porro leges naturales primum *sane*dae, quod ab nemine impune possint violari, dein *fa*ciles siquidem ad caron custodiam et connati stimuli, et recta ratio, et tota natura nos impellit. Vide *Psalm. XVIII. 3. Matth. XL. 30.*

CXXXIV. Sunt qui leges naturales esse negant, quod 1) iura sibi homines inuenient pro utilitate, 2) eaque pro morum et temporum vicibus saepe immutentur, 3) tantum cuique iuris sit, quantum potentiae, cui resisti nequeat, 4) nec quisquam a propria obligari possit ratione, 5) quo nomine non veniant nisi praeconceptae singulorum opiniones, et raro inter se congruentes 6) Clamitant alii defecisse post Adami lapsum rationis lumen, et 7) non paucas gentes summa legum, quae naturales dicuntur, ignorantia laborare. Sed haec omnia satis supra explosimus. *

CAP VT IV.

*De iuribus hominum uniuersalibus et quod inde
fluit, actum moralium discrimine.*

CXXXV. Quoniam in notione obligationis et legis ius aliquod inesse oportet, facile patet, cur omnes

B 3

ho-

* Cf. meam exercitat. *De leg. natur. principiis ac propriet.*